

DISSERTATIUNCULAE,  
*2VA*  
GERAR PALAESTINAE ET  
GERA OSTERLANDIAE COM-  
PARANTUR,  
CONTINUATIO,  
*PER QVAM*  
PLURIMUM-VENERABILE ET  
AMPLISSIMUM  
DNN. INSPECTORVM  
COLLEGIUM,  
DOCTOSQVE GERANOS OMNEIS  
M. JOHANNES SEBASTIANUS *Mit*  
*ternacht*/ ILLUSTRIS RUTHENO-GERANI  
GYMNASII RECTOR,  
*OFFICIOSE ET AMANTER ROGAT,*  
UT  
HEINRICI RICHTERI, GERANI  
LIPSIAM ABITURIENTIS,  
VALEDICTORIAM,  
*CRASTINA LUCE*  
SUB IPSUM SECUNDAE POMERIDIANAE  
AUSPICIUM  
PUBLICE RECITANDAM,  
*BENIVOLI, FREQVENTES ET FAVENTES*  
*AUSCULTARE DIGNENTUR.*

---

*G E R Æ,*  
LITTERIS HÆRED. AND. MAMITZII,  
ANNO *cl lo c LII X.*



les non multi ultra duos menseis elapsi sunt, ex quo fidem dedi publicè, fore scilicet, ut, quae in Geraris ac Gerae comparatione, ob chartae angustiam addi tum non poterant, brevi post in alio programme supplementur. Quum itaq; omne promissum, juxta vetustissimum illud ac πολυθρύλλητον vel πολυθρύλητον adagium, in debi-

tum cadat; ideò ne κέπρω ὠδίνισσα aut *Larus parturiens* videar, promissis standum arbitror, quibus teneri me intelligo. Neq; enim excidit animo, quod Johannes Sarisberiensis, sive, ut alii malunt, Salisberiensis, Episcopus Carnotensis, supra aevi sui morem eruditus, quippe in quo multiplex lectio, acie judicium, & ut illa ferebant tempora, eloquentiae satis, alicubi (a) monet, dum inquit: *Licet nuda promissio apud Juris, ut dicitur, peritos non pariat actionem; promissor omnis apud VERITAREM (ut dici solet) pollicem sinit, & jure civili cessante fidei naturaliter obligatur. Sed quis aetor durius aget, quam fides, si ipsa coeperit accusare?* Nolo proinde, ut quispiam jure mihi exprorare atq; opponere possit illud Simocati (b) επαγγελῆσαι πολλὰ, καὶ πράττειν ὀλίγα, καὶ τῶν γλαῦπιαν ἔχουσι ὑψηλοτέρων τῆς πράξεως. Etsi enim eo vivimus tempore, quo, juxta Poëtam, pollicitis dives quilibet esse potest; ingenua tamen ingenia solvere promissa malunt, quam inanibus verbis ludere quemquam, aut lactare. Id propter postquam contemplati in nupero programme utriusq; civitatis nomen, conditionem, antiquitatem & situm fuimus, progrediemur jam ad reliqua, quae eadem brevitate persequemur. Observanda proinde nunc erit utriusq; urbis DIGNITAS. Gerar Palaestinae, si fidem habemus Heidmano, (c) fuit urbs regia Philistinorum: quod vel inde constat, quia in illâ regiam aulam habuit uterq; Abimelechus, prior scilicet, & posterior, ceu docet libet Geneleos. (d) Adstipulatur Johannes Maria-vanellum na in Scholiis (e) Non a. sine causâ dixi: *Abimelechus uterq;*. Etsi enim Josephus, Augustinus & Chrysostomus putant, eundem fuisse Abimelechum, qui Saram ad se evocavit, & Rebeccam, repugnare tamen temporum series huic adsertioni videtur, quod Dn. D. Friedliebhus haut temerè urget, (f) Ac notandum, quod B. Gerhardus arbitratur, Abi-

(a) b. III. Poli. art. c. XI.  
 (b) p. 37.  
 (c) Palaest. c. V. §. 23. pag. 1.  
 (d) opp. XX, & XVI.  
 (e) per Genes. X. 1.  
 (f) beol. Exeg. T. fol. 98. 12. Adde vanellum Bibl ad vo. Abime- b. nec non rnelium à in cap. VI. Gen.

Abimelechum illum, qui Saram ad se pertraxit, per Abrahami praedicationem ad verum Deum conversum fuisse, ejusque rei septem rationes exponit, quas huc, ne nimis prolixi videamur, nolumus referre. Videri possunt apud ipsum Gerhardum in Commentario Gen. (g) Certè nisi conversus ad verum Deum fuisset Abimelechus ille, ipse Dei filius ipsi in somnio non apparuisset. Etsi enim quidam ex Pontificiis statuunt, Angelum quemdam in personam Dei cum Abimelecho locutum verba sic formasse, ut Abimelechus sibi videretur cum Deo loqui; quam opinionem Judaizantes nonnulli hodie in Ecclesiae profcenium protrudere non erubescunt: tanti tamen sunt momenti ac ponderis B. Gerhardi (b) argumenta, ut audacter dixerimus, ipsum Dei filium Abimelechum dignatum alloquio suo fuisse. Gerar igitur aulam illustris fuit, & aulam quidem regis verae, ut Gerhardus loquitur, religioni addicti ac pii (i) Quid verò de Gerar nostram dicemus? Annon enim & haec aulam est illustris? Sed non regiam, inquis. Ego verò dico, Abimelechum illum non fuisse Regem talem, quales fuere Pharaones Aegyptii, aut David & Salomon, sed, uti ipsum nonnulli vocant, Regulum saltem, h. e. dominatorem. Melech enim Ebraeis dicitur quilibet dominator, qui vel ditioni, vel etiam urbi alicui cum imperio praeesit; velut Gerhardus observavit. (k) Unde & Graeci non rarò exponunt per ἀρχοντα seu Principem. Quum ergò aulam hinc apud nos habeat Perillustris ac Generosissimus Dominus, DN. HEINRICUS II. Junioris lineae Ruthenus, totius familiae hodie senior, Dominus à Plavia, Dominus in Graizâ, Cranichfeldâ, Gerar, Slatzâ & Lobensteinio &c. Dominus noster per clemens, quidni ob hanc ejus aulam Gerar nostra & Gerar comparari possint? Inprimis ubi revocamus ad accuratiorem judicii lancem, Principum splendorem, titulos ac nomen aliquamdiu viguisse in Ruthenorum familiâ. Nondum sanè elapsa est una tantum annorum centuria, quod honoribus illiusmodi illa floruit. Et citra laborem impetrari illi etiamnum possent, si illis, quorum interest, ita visum esset. Noverunt interim omnes S. R. Imperii proceres, qui sint RUTHENI. Ut v. princeps Abimelechi laus in eo sita videtur, quod purioris religionis cultor fuit: ita reliquas RUTHENI nostri laudes anteit illa, quam orthodoxae fidei amor ac studium, singulare, prorsus, & numquam satis laudandum, parit. Simul ac enim per innarrabilem Dei gratiam divinae veritatis jubar in Germaniam iterum illu-

(g) in cap. XX. Genes. p. 408. quæst. 5.

(b) loc. cit. quæst. 7.

(i) confer etiam D. Friedlieb. l. c. fol. 75. q. 83.

(k) Côm. in Gen. XX p. m. 406. n. 3. Adde pag. 510. q. 1. ubi Abimelechus unus ex Philistæorum regum appellatur.

Illuxit, dispulsis & valere iustis Romanensibus, quae longè lateq; omnia ferè involverant, tenebris; illicò idem in Ruthenicis his ditioribus locum invenit. Quin, quum per maleferiata nonnullorum ingenia dogmata quaedam non sana spargerentur, iisdemq; Evangelicae doctrinae ac fidei fulgor magis magisq; obfuscarì coepisset, opposita illis fuit Confessio Gerana sive Ruthenica, quae eadem fidei capita contra fraudulentos ausus Doctorum quorundam urget ac tutatur solidè, quae in Form. Concordiae paulò post explicabantur ac defendebantur. Et in hac fide constanter perseverat ac *σὺν Θεῷ* perseverabit cum Subditis suis RUTHENUS noster. Non parum deinceps dignitatis Gerar Palaeestinae inde accepit, quod *conversatione sua & habitatione* illam dignati duo Patriarchalis collegii eminentissimi VIRI fuerint, ABRAHAMUS videlicet, & ISAACUS. Ideò Heidmanus (1) ait: Ad torrentem Besor erat Gerara, urbs regia Philistinorum, ubi ABRAHAMUS aliquamdiu vixit, & ISAACUS natus est: qui & hinc cum Patre profectus est itinere tridui ad montem Moriam, Dei mandato immolandus. Hic tamen divinitus liberatus his ipsis locis *domicilium* suum habuit, & *puteos* aliquot effodit. Haec ille. Sciendum autem est, Patriarchas non capita dumtaxat familiarum fidelium & piarum fuisse, & jura dixisse suis, sed *Doctores* etiam *publicos Ecclesiae*, quod ita in Solis radiis perscriptum est, ut vix fatui suspicionem amoliri à se posse videatur, qui operosius id demonstratum eat. Sed numquid non & Gera nostra *domicilium* praebuit commodissimum plurimis *Ecclesiae orthodoxae Doctoribus*, & praeconibus illius veritatis, quam unicus & unigenitus Dei filius q. è sinu Parris humano generi revelavit? Injurius prorsus, & parum abest à blasphemiam, qui hoc negaverit. Infiniti certè laboris, & longi temporis negotium foret, explicare hinc, & nomine tenus producere omneis ac singulos, quotquot hac in urbe coelestis verbi semina per Ecclesiae agrum à reformationis tempore eà, quā par est, fide, & industriā dexteritate sparserunt. Non enim, ut Gerar duos Patriarchas, sic Gera nostra *binos tantum* salutis praecones aut antistites veritatis & factorum habuit & aluit. Non possum tamen non quaedam subjicere hoc loco de *Superintendentibus* quibusdam, quos Gera hospitio suscepit, & venerata usque fuit. Inter caeteros enim eminent SIMON MUSAEUS, SS. Theol. Doctor famigeratissimus, qui posthabitā imperiali urbe, *Bren. a.* ubi

anno

(1)  
loc. cit.

anno clō Is LXII. Superintendentis munere functus fuit, huc concessit, & unā cum reliquis suis Symmyktis ann. clō Is LXVII. Confessionem nostram conscripsit: Vir profectō quavis laude major, & supra omnem scolorum morsus & larratus, quibus impetitus non rarō fuit, positus, & quem nullus persecutionis multiplicis aestus deflectere à regiō agnitae veritatis tramite potuit. Solidam illius eruditionem, & acre, quo poluit, iudicium tot praeclari ab ipso in vernaculā & Latinā lingg. editi libri *Ὁ Φαλμοφανῶς* ostendunt. Huic successit deinceps M. MARTINUS FABER, vir solidè doctus, & *γνησίως* Lutheranus: Adtravit illum equeidem *Johannes Guntherus*, quondam Vinariae Diaconus, ac Pastor deinde Thornensis, sed ab utroq; officio ob ingenium turbidum, & suspecta quaedam dogmata, quae mordicus defendere nitebatur, remotus; & plena convitiōrum plaustra in Scripto, Ann. clō Is LXXIII. sine loci ac Typographi mentione edito, in Virum optimum contra jus & fas exoneravit. At verò FABER non unum tantum è verbo divino fulmen fabricavit, quo calumnias contudit, *Φλαρῆαι* & *σοφίσματα* dissipavit, & egregium eruditionis Theologicae thesaurum orbi litterato prodidit. Hoc verò etiam ex hac mortalitatis palaestrā ad radiantissimum illud aeternitatis domicilium subvecto, Antistitis Gerani munere functi cum immortali nominis laude fuerunt JESAIAS KRUGERUS, FRIEDERICUS GLASERUS, & M. HEINRICUS AMELONGUS, qui quamquam per scripta publica, quantum scio, non innotuerunt; innotuisse tamen facile potuissent, si necessarium id, ex re esse judicassent. Nihilominus gregem Domini eā dexteritate pariter ac felicitate paverunt, ut nulla ipsorum opera oblivio, dum Gera stabit, sit deletura. Fallit sane, aut fallitur ipse, qui inter Doctos non numerat, nisi qui per bibliopolarū tabernas blattis saepenumero & muscis exponuntur. His quoque ad coelestem patriam per beatam ac placidam *ἀνάλυσιν* evocatis subrogatus fuit M. CHRISTOPHORUS RICHTERUS, de quo ne multa hīc addam, modestia facit. Vereor n. ne utrumq; Generum offendam potius aut irriterem, quam oblectem. Uterq; enim ejus est indolis, ut ad laudes tum proprias, tum domesticas obstruat aureis potius, quam aperiat, & q. obsurdescere malit, quā acutum audire. Interea, quantum ille Vir fuerit, abunde testatae fuerunt lacrymae, quas omnium ordinum hominibus abitus illius extorsit; ac testantur etiam nunc

desideria nostra, quibus beati viri manes prosequimur, ut nihil dicam  
 de concionibus eruditissimis, tum nuptialibus, tum funebribus, quas  
 magno numero evulgavit, gratisimas omnibus, qui dextrè judicare  
 de sacris hujuscemodi laboribus possunt. Atq; utinam tam feliciter  
 esse nobis liceat, ut legere queamus adcuratissimam Concionandi  
 methodum, Gymnasii juventuti praelectam olim publicè, quâ triginti  
 vias & rationes ostendit, quibus sacri textus, & Evangelicae cum-  
 primis pericopae, tractari è suggesto possint. Abeat ergò Livor, fron-  
 tem perfricet, ac dicat, nullos, vel nullius momenti Doctores Eccle-  
 siae hospitatos Gerae fuisse. Porrò velut in Gerare sanctorum Patri-  
 archarum *vestigia* etiam posteriori aevo studiosè homines religiosi ad-  
 ire ac visere sunt soliti, quae verba sunt Heidmani: (m) sicutantorum  
 vitorum *vestigia* h. e. *effigies*, tum in templi parochialis s. oppidani sa-  
 cello, tum in aede ad coemeterium SS. Trinitati nuncupatâ pictas,  
 numquam sine gratâ s. v. recordatione intuentur, quorumcumq;  
 in cordibus altas pietas radices egit. Novimus enim probè, quid in  
 hanc rem praecipiat Apostolus. (n) *Hodierni Antistiti* nostri ornamē-  
 ta ne adumbrare quidem sustineo: quum notissima sint omnibus, nec  
 citra stultitiae [cujus Alexander Severus eos insimulavit, qui *vivos*  
 laudarent] notam vel suspicionem exponi jam queant, exponenda  
 futuro, si quod sperandum est, tempore. Neq; hoc dissimulandum cen-  
 seo, quod, ut Isaacus sub umbrâ & benevolentia Abimelechi tutus &  
 incolumis floruit, quandoquidem hic sub poenâ mortis publicitus e-  
 dixit, ne quisquam aut Isaacum offenderet, aut ejus uxorem: (o) ita  
 venerabiles verbi divini ministri, & Superintendentes cum primis sub  
 RUTHENORUM gratiâ, tutelâ, liberalitate ac munificentia viguere.  
 Est n. haec laus RUTHENICAE familiae propria q. ac perpetua, a-  
 mare scil. & venerari Summi Regis thesaurarios, Christi Legatos, &  
 Oeconomos, (p) quos non in templis dumtaxat, sed in Scholarum et-  
 iam auditoriis habet. Neutris enim carere domus Dei, Ecclesia, sine  
 damno insigni potest. Non itaq; RUTHENI cum iis sentiunt, qui to-  
 to genere personas Scholasticas differre ab Ecclesiasticis, arbitran-  
 tes ne hili quidem aut civilitati *illas* faciunt, h. v. dicis gratiâ, & ne taxen-  
 tur è suggesto, qualemcumq; honoris umbram exhibere satis ducunt.  
 Quin recordantur usq; RUTHENI, & adcuratè apud animum ex-  
 pendunt, se esse debere Ecclesiarum & Scholarum NUTRITIOS. (q)  
 Quod

(m)  
 l. c. c. V. S. 51.  
 pag. 96.

(n)  
 Ebr. XIII. 7.

(o)  
 Gen. XXVI.  
 11.

(p)  
 1. Cor. IV. 14.  
 Tit. I. 7. 1. Pet.  
 IV. 10.

(q)  
 Jesa. XLIX.  
 23.

Quod tantorum Heroum exemplum plerique, ceriè pii, prudentes & cordati subditi imitari student. Cujus rei publicum & illustre prorsus documentum est singularis illa, in proximis comitiis ordinum Ruthenicorum decreta, & praestita haectenus Gymnasio munificentia. Tandem ad dignitatem utriusq; urbis prae caeteris multum addit *apparitio Numinis* in utraq; facta. Velut enim in Gerare Dominus ipse apparuit Isaaco, eundemque, ne in Aegyptum descenderet, admonuit, quin largissimam promissionem, & pietatis praemium adjecit: (r) sic in Gerâ quoq; per verbum, quo templû resonat & Gymnasium, evidentissimè etiam num apparet, ac tantum non palpandum se exhibet in Sacramentis, monetq; fidelissimè, ne denuò in Aegyptum, h. e. Aegyptias vel Cimmericas Papatus tenebras descendamus, sed in verbi coelestis luce clarissima potius ambulemus. Et haec de utriusq; loci DIGNITATE. Diximus v. in nupero programmate cõparationem etiam institui posse *quoad nonnullorum suspiciones*. Etenim Petrus Ravanelus, Calvinianae sectae homo, (s) ex quodam Geneseos loco (t) suspicatur, Gerar Palaestinarû fuisse civitatem *moribus corruptissimam*. (u) suspicatur, non probat verò solidè. Unde Lutherus vertit: *Wohl leicht ist keine Gottesfurcht an diesen Orten / & Vulg. Lat. forsitan non est timor Dei in loco isto*. Quae verba sunt suspicantis, non certò adseverantis, sicut & verba subsequenti *interficiet me*, non certò adfirmantis esse constat. Ad eundem modum multi multa sinistra saepius de Gera nostra ejusq; civibus & incolis suspicati temerè ac sine fundamento solido fuere. Quâ de re ipsi RUTHENI queruntur in praefatione *editionis secundae Confessionis nostrae*. Multa hodieq; suspicantur, ac spargere non erubescunt livida quorundam ingenia de illustri nostro Ruthenéo, cujus incrementa ac splendor sudes illis est in oculis. Sed sufficit nobis tum conscientiae, tum Dnn. INSPECTORUM testimonium. Ridemus ergò vanas ejusmodi suspiciones, ac rumores mendaces, ac triumphamus invidiam omneisq; illius assecclas. Pergitur nunc ad utriusq; urbis *calamitatem*, è bello in proximis redundantem. Etenim cum Serah, Rex Aethiopum potentissimus, *decies centena militum millia* contra Judaeos ex ipsâ Africa ultra CCC. milliaria (u) adduxisset, coesus est ab Asa Judaeorum Rege exercitus iste vastissimus, & in reliquias saevitum in ditione Gerariticâ ceu patet ex posteriore τὸν ὠδὸν ἑλεποδύων libro, (x) Simile omninò fatum Gerar.

29  
 29  
 29

(r)  
 Gen. XXVII. 6.  
 seqq.  
 (s)  
 in Biblioth.  
 S. ad nomen  
 Gerar.  
 (t)  
 scil. Gen. XX.  
 11.

(u)  
 Bunting. II.  
 V. T. f. m. 166.  
 (x)  
 149. XIV. 19.



41 862 01

(y)  
Pag. 206.

(z)  
Gen. XXVI.  
12.

nam etiam exercuit. Audiemus Chronic. Cygn. partem posteriorem  
 five Annaleis Cygnaeos. Ibi enim (y) haec leguntur: Zu Gera isis da-  
 mals (als Anno 1470.) am erbärmlichsten zugegangen. Denn nach dem die Böhmen  
 (die sich mit Herzog Wilhelmen conjugiret hatten) mit grossem Verlust alda einen  
 Sturm verlohren/ sind sie auff anhalten ihrer Obristen (die ihnen alles / was in der  
 Stadt gewesen/ Preiß gegeben) einen neuen Sturm angangen/ und haben die Stadt  
 mit Gewalt eröbert/ und weil sie zuvor viel darüber verlohren / im Grim alles / was  
 sie lebendiges in der Stadt gefunden/ erwürget / auch hierüber der Weiber und Kin-  
 der nicht verschonet/ wie sie denn in die 5000. Personen/ jung und alt/ auch ihrer viel  
 in der Kirchen bey dem Altar niedergehauen etc. Haec ibi. Per civitatem ergo  
 tanta facta strages fuit, non in solo templo, ut imperitum vulgus spar-  
 git. Possem equidem in comparatione ista prolixè exponere agrorum  
 hortorumq; fertilitatem, quâ Gera nostra Gerarem imitatur: (z) uberta-  
 tem fontium, in primis fontis *myrta*, h. e. Gymnasii, per universam pro-  
 pè Germaniam exuberantis: sed chartae hujus angustia tantam rerû  
 dicendarum farraginem non capit. Ad illum ergo, cujus gratiâ haec  
 prodit pagina, devenimus. Est ille HEINRICUS, *Viri supra laudati,*  
*Perquam Rev. Ampliss. & Excellentiss. DN. M. CHRISTOPHORI*  
*RICHTERI, Ecclesiae nostrae quondam Pastoris, ejusdemq; & re-*  
*gularum Ruthenicarum Superintendentis Generalis vigilantissimi, Prima-*  
*rii Adsesoris Consistorii, Gymnasii Inspectoris ac Professoris gravissimi & c.*  
*τὸ πρῶτον ἐν ἀγίοις, filius: adolescens reverè pius, & industrius, & obser-*  
*vantissimus Praeceptorum, in cujus laudem longè plura dici possent,*  
 quam charta ista admittit. Hic itaque, posteaquam eos in studiis pro-  
 gressus fecit, ut ad Acroases Academicas adhibendus videatur, noluit  
 clam subducere se nobis. Prodibit igitur crastinâ lucè sub II. pomeri-  
 dianam, & è cathedrâ publicum eruditionis suae specimen, edet, per-  
 oraturus de *Academiarum laudibus*, ac deinceps carminibus Lat. Grae-  
 cis, & in vernaculâ conceptis gratias prolixas acturus, quibus se illa  
 debere agnoscit. Ea propter *Venerabile plurimum Ampliss. DNN. IN-*  
*SPECTORUM collegium, ac Doctos omnes eâ, quâ par est, ratione ro-*  
 gatos volumus, ut hanc *Discipuli nostri obsequentissimi pietatem no-*  
 biscum probent, & ejus Orationem valedictoriam, non certè inele-  
 gantem, frequentes & faventes auscultare, & hac viâ simul B. Dn. Pa-  
 rentis manes venerari dignentur. Gratissimum hoc beneficii genus n-  
 adolescenti tantum erit, sed ejus etiam Dnn Adfinibus, Viris certè  
 publico bono optumè jam pridem meritis. *Λόγον ἀπερρέπει ἕκαστος*  
 more memoriter recitabit JUSTUS JONAS A COSPOTH, Eqves Varnicu-  
 P. P. XIV, KL, SEPT. anni Messiani clō lōc LIX,

1017 11.5





GER  
DN  
M. JO  
ternach

HEIN

AE,  
INAE ET  
AE COM-  
ABILE ET  
TORVM  
M,  
S OMNEIS  
TIANUS  
ENO-GERANI  
OR,  
ROGAT,  
I, GERANI  
ENTIS,  
RIAM,  
MERIDIANAE  
DAM,  
ET FAVENTES  
ENTUR.  
MAMITZII,

